



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XXIX. Idem Priori, & clericis S. Ioannis & Pauli a Tudertin.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## CAPUT XXVIII.

Archiepiscopo a Tyren.

**D**ilecto filio I. <sup>b</sup>Barbo procuratore Ecclesiae sancti Marci de Venetiis olim nobis humiliter supplicante, ut cum paratus esset tibi iustitiae plenitudinem exhibere super Ecclesiam sancti Marci de Tyro, & rebus aliis, de quibus inter te, & Venetos, ac <sup>c</sup> vicarium Venetorum quæstio mota fuit, possessionem ipsius Ecclesiae, qua per felicis memoriae I. Papam prædecessorem nostrum tibi fuit causâ custodiæ assignata sibi restituiri faceremus; quia te pro causa necessaria tunc absente, ei assignari non poterat possessione postulata, nos eidem indulsimus, ut sibi lapsus <sup>d</sup> temporis non obsteret, quo minus possessionem ipsam recuperare valerer. Quoniam vero tantum temporis ante concessionem ipsius indulgentia dicitur effluxisse, quod tibi sufficere possit ad vera possessionis effectum secundum statuta Concilii generalis, et si fortè tempus ipsum tantum ante prædictam indulgentiam non effluxerit, videtur quod eadem ad veram possessionem viam tibi præcludat, cum simpliciter contineatur in ipsa, quod de cetero ipsi procuratori lapsus temporis non obstat quominus possessionem recuperare valeat memoratam: Nos quorum fuit intentio juri dicti procuratoris, & ipsi Ecclesia sine tua, & Ecclesia tua injuria subvenire, auctoritate præsentium declaramus, quod nostra intentionis non fuit per ipsam indulgentiam jus perimere, quod tibi competebat ex possessione præterita, vel post redditum tuum competierat ex futura; sibi enim imputare poterit pars adversa, si negligens fuit in sua iustitia prosequenda, cum absentia tua impedimento cessante, te convenienti habuerit facultatem.

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> Trensi. ] In hac sexta collectione legitur Turonensis, sed male; quare tam inscriptionem, quam literam restituo ex quinta compilatione Honori, ubi sub titulo *de eo qui mittitur in possessionem cap. I* reperitur textus hic, & ejus historiam retuli in *cap. accedens, el. I. ut lic. non contest.*

<sup>b</sup> I. Barbo. ] Illustrum esse hanc familiam apud Venetos, jam notavit Cironius in præsenti.

<sup>c</sup> Vicarium Venetorum. ] Magistratum videlicet, de cuius officio agit Iustinus in his. Venet. lib. I.

<sup>d</sup> Lapsus temporis. ] Videlicet ne tempus elapsum noceat; quod Principis beneficium appellari solet reparatio temporis, l. 11. Cod. de tempor. appell. ibi: *A nostro nomine reparacionem peti precipimus.* Symmachus lib. 10. epist. 32. & 49. ibi: *Cum vellet infelicem causâ lapsus reparacione sarcire. Et Imperator in l. Cod. Theodos. de reparat. appell. dixit: Exhausti spatijs redintegrationem.*

## CAPUT XXIX.

Idem Prior, &amp; clericis S. Ioannis &amp; Pauli a Tudertin.

**C**um intervlos dudum ex parte una, & Abbatem sancti Petri de Monte Spoleto, diocesis altera super tertia parte oblationum, & possessionum capella sancti Hilarii, & cellarum ipsius, & quibusdam aliis coram bona memoria Angelo sancti Andreae Diacono & Cardinali, tunc subdiacono, & Capellano felicis recordationis. Papæ prædecessoris nostri, ab eodem prædecessore partibus auditore concessa, quæstio veteretur, & eidem constiterit auditori à vobis probatum fuisse, per quadraginta annos, & amplius, tertiam partem oblationum ejusdem capella vestram Ecclesiam recepisse à clericis institutis per Abbatem de Monte, tuisque, fili Prior, eandem tertiam te commississe aliquando colligendam: prædecessor præfatus ipsam terram Ecclesiae sanctorum Ioannis & Pauli adjudicans, statuit ut tibi, Prior, liceret per eodem clericos (sicut fuerat consuetum) partem colligere memoratam, prout in ejusdem prædecessoris literis perspeximus contineri. Verum quia postmodum sacerdos prædictæ capella afferens obligationum nomine minimè contineri ea, quæ ipsi capella in festivitate omnium Sanctorum mittuntur, vel portantur ad illam, seu ad domum sacerdotis ejusdem intuitu defunctorum, necnon quæ in cimilini ponuntur, quod de altari suscipit, facit per Ecclesiam in fraudem ab aliquo deportari, & quæ ante Crucem & in Misericordia Trinitatis, & ea quæ pro desponsatis canitur, & lampades cum oleo quæ prædictæ capella ab aliquibus offeruntur, vel quæ dantur nuntio, qui ad recipienda talia per prædictæ capella parochiam destinatur: & de his omnibus vobis tertiam

tertiam denegans exhibere, de aliis nomine tertia persolvendis pro rata partis vestram Ecclesiam contingentis retinere nitebatur ad expensas capellæ ipsius necessarias facientes: dictus prædecessor, ut omnis materia scandali tolleretur, tam de omnibus supradictis, quam oblationibus aliis absque subtractione aliqua integrè persolvi voluit, & mandavit tertiam portionem. At capellani prædictæ capella volentes adhuc alterius defensionis somitem suscitare, ac dicentes primitias, & decimas, vel ea quæ offeruntur pro Missis mortuorum sacerdotibus, quæ pro septimis, & tricesimis. & anniversariis, pannos, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia, oblationum nomine minimè contineri, de his omnibus partem tertiam solvere vobis nolunt. Ut igitur hujusmodi scandalorum materia totes pululantum radicis evellatur, volumus, & mandamus, ut per clericum vestrum à vobis in eadem Ecclesia institutum de omnibus supradictis, & de aliis oblationibus, quocumque titulo ad Ecclesiam ipsam pervenerint, sine diminutione aliqua integrè tertia vobis portio persolvatur.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **T**udertin.] Ita legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 1. ex qua textum transcribo. Ecclesia hæc est parochialis, & ejus clerici vitam regulariter servant.
2. <sup>b</sup> **Sancti Petri de monte.**] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in diœcesi Spoletoana, ut refert Tamburinus in serie Abbat. verbo Spoleto.
3. <sup>c</sup> **Cardinali.**] Tituli sancti Adriani postius legendum est, quem creavit Innocent. III. anno 1212. ut refert Ciaconius in ejus vita, d. Defensorum.] De quibus egi in cap. final. de restam.
4. <sup>d</sup> **Cimilini.**] Legendum esse in cimelio, jam notavit Joannes Vossius de virtutis serm. lib. 2. cap. 2. De cimelio, & cimeliarcha egi in cap. 3. de offic. Archid.
5. <sup>e</sup> **Pro desponsatis.**] De qua egi in cap. ad Apo. tholicam, decimon.
6. <sup>f</sup> **Septimæ, tricesimæ.**] De quibus missis, & officiis defunctorum egi in cap. final. de restamentis.

## CAPVT XXX.

Idem Episcopo F. P. Bettandi Archid. <sup>a</sup> Cæsarangust.

**E**x parte vestra fuit propositum coram nobis, quod diliicti filii Præpositus, & Canonicus <sup>b</sup> Aretin. sententiam, quam felicis memoria I. Papa prædecessor noster super Ecclesia sancti Gregorii, quibusdam terris, & parte molendinorum Cupreve, ac Castris Saxy, & molendino posito supra montem de Caliano, ac aliis diversis articulis in eadem sententia comprehensi, inter vos, & eorum canonicam promulgavit, per interpretationem sinistram in recidiva quæstionis scrupulum reducere molientes, afferunt illud capitulum ejusdem sententie, quo dicitur ne canonica ipsa impedit, quominus monasterium vestrum prafatum molendinum de Caliano readificare valeat in eo statu in quo fuisse dignoscitur tempore motæ litis, esse referendum ad tempus, quo <sup>c</sup> lapillus in denunciationem novi operis jactus fuit: vobis è contrario afferentibus, illud esse intelligendum de tempore, quo lis super hoc inter vos, & præfata canonicam extitit contestata: quare humiliter supplicasti, ut altercationem hujusmodi per interpretationem capituli supradicti decidere dignaremus. Nos ergo considerata eadem sententiâ diligenter, quod in præfato capitulo dicitur de tempore motæ litis, interpretamur esse referendum ad tempus, quo litis <sup>d</sup> contestatio facta fuit,

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **Cæsarangustano.**] Ita legitur in quinta collectione sub hoc tit. cap. 2. sed valde corrupta est hæc inscriptio, tamen in hac quinta, quam in sexta collectione, cum in præsenti agatur de cationicis Aretinis, qui sunt in Italia; unde non poterat præsenti causa cogitatio committi Præfulli Cæsarangustano, qui est in Hispania in regno Aragonis. Restituenda ergo est inscriptio ex ipso registro Honori III. ad hunc modum, *Abbat. & conventu monasterii S. Flora*, ut notavit Cirocius in appendice ad notam hujus quinta compi. *D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*
2. <sup>b</sup> **Aretina.**] De Aretina Italæ diœcesi egi in cap. 2. de ordin. cognit.
3. <sup>c</sup> **Lapillus.**] De hac nunciatione per lapilli jactum egi in cap. 1. de novi oper. nunc.
4. <sup>d</sup> **Litis contestatio.**] Quia licet post nunciationem novi operis per lapilli jactum nihil sit innovandum, siue post nunciationem in iudicio factam, ut probavi in cap. 1. de novi oper. nunc. tamen

H h 3 in